


79



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.





4

Apotheosis
**FRIDERICI TI
LEMANNI, I. V. DOCTORIS,
ET HISTORIARVM PROFES-
soris publici :**

Per
D. Iohan. Iessenium

celebrata.



**VVITTEBERGÆ
Typis Simonis Gronenbergii.
M. D. XCVIII.**


LEVINO ET VVERNE

ROHANN, GERMANIS,

EQVITIBVS NOBIL-

LISSIMIS

S. D.

D. Iessenius.

Æsculapio moriens Socrates gal-
lum vovit: vobis ego vivens, præ-
stantissimi equites, alterius Socratis
Tilemanni nostri memoriam con-
secro. Habete. VVitebergæ, Do-
minica Trinitatis, Anno 1598.

APOTHEOSIS.

S*t ita, ut Togatorum ille literatissimus*
M. Varro dixit; Homo bulla: Hæc au-
tem exorta derepentè in aqua vesicula,
& mox tumor evanidus: non aliter, qui
velut hodie turget bulla homo, cras fu-
i r. Tam fragile vas, & ocyssimæ flos pulchritudinis,
fœnumq; homo est, natus tanquam arista secari.
Hoc pacto nudius tertius in ætatis flore, ingenii vi-
gore, fors dura, dira mors FRIDERICUM TILE-
MANNUM, l. V. Doctorem, & historiarum Professo-
rem publicum falce suâ incidit, eúmque, qui modò
in omnium oculis, oréque vixit, (proh inexorable
fatum!) in triste funus redegit: quem tamen virum,
ob raram erga Deum & homines pietatem, ingenii
divinã vim, & ea omnia, quæ magnū efficere homi-
nem possunt, æternùm vivere, & à mortis imperio,
singulari privilegio exemptum decuit, aut saltem in
Majo, nō Iunio mori oportuit. Qui enim & quantus
vir fuerit, nōrunt omnes, quibus is non ignotus fuit.
Homo erat plurimarum literarum, neque, ut hodie
mos, vulgarium; sed interiorum & reconditarum.
Excurrens enim sæpe è Ictorū castris, sese in Philo-
sophorum, Medicorum & Theologorum campos,
nō ut transfuga, sed ut explorator contulit. Hinc de
omnibus extemporalis ipiū facundia, ubivis soler-
tia, industria, quorsum & accedebat peculiaris quæ-

dam in negotiis obeundis dexteritas, in sermocinationibus affabilitas, in seriis gravitas, in jocosis urbanitas. Qui, quid voluptati boni insit, carendo magis, quam fruendo (ut pulchrè Cicero inquit) didicit: otio semper ad negotium usus; tam raræ illi cum bonis literis induciæ. Propriarum maximè, alienarum verò rerum nil minùs, quam curiosus: ab omni invidiæ morbo liber, à calumniandi studio alienus, ut qui potius eruditione & probitate vincere, quam maledicere: & antecellere, quam contemnere: esseq; quam videri voluerit: sorte suâ contentus, ambitionis, stultitiæ sororis, hostis: non parasitando, sed ingenuè confitendo emerfit. Mentem sæpè prodebat oratio; erat in ore frequenter: Sic age, ut te multi, tu non multis indigeas: Explorant ardua viros; Convitia pulicum morsus vocabat. Symbolum ipsi erat: Non vis, non lis, sed humile illud Senecæ; Magnum quod placidum. Inde simulationum & simultatum prorsus nescius: cor in fronte gestabat: beneficiorum memor, & ubi licuit, diligens relator, assiduus commemorator. Summatim vir bonus, majori flammâ, quam fumo conspicuus. Et hinc illæ lachrymæ, tantòque plures nobis justissimi luctus causæ, quantò ille major extitit animo & virtute. Quis enim hæc bona omnia, tanquam fructuosissimam in herba extinctam messem, æquo ferat animo? Mæret ergo, & meritò novo modo schola hæc, cui

cui & ultrò literatissima ingeniorum æstimatrix,
utraq; egregia Saxonica aula condolet, doletq; o-
mnis, qui sensum habet. Me profectò mortis illius
mirè lancinat recordatio, viduatū gemmā amicorū
meorum, qui mihi non minùs plorandus est, quàm
necessarius & consanguineus. Nam amicus propin-
quo anteponendus, cū hoc præstet propinquitati
amicitia, quòd ex illâ benevolentia tolli possit, ex
hac non possit. Quare amor noster verissimus, inte-
gerrimusq; floret, florebit perpetuò: & nunquam in-
termoriturus vivit, vivetq; mihi, in intimis præcor-
diis, imò corde ipso, meus **T I L E M A N N U S**. Tanto
verò orbitatis vulnere confossus, confugio ad prisca
sapientiæ reliquias, ad salutare librorum suppetias,
quæ mirè reficiunt languentem animum, & velli-
cant aurem efficaci solatio. Magna est felicitas, mo-
ri in felicitate. Felix mors, quæ tunc venit, cū ma-
ximè juvat vivere. Felix mors, quæ antè venit, quàm
optetur. O maturissimam mortem, quæ tum aufert,
cū nihil majus meliusq; expectandum est. Occubu-
it **T I L E M A N N U S**, postquam clarissima optimæ in-
dolis documenta, monumentaq; ad laudatissimam
sui memoriam reliquisset omnibus, è desiderio ac o-
pinione hominū de se optimā: quæ cū mutari pro-
gressu tēporis potuerit; nunc plena & solida perma-
net. Idem enim accidere in longâ vitâ solet, quod
in longâ viâ, ubi luti plurimū est & pulveris. Mors

A 3

eum

eum non bonis, sed malis eripuit: tributum Natura
suum poposcit, quod ipsi debet omnis mortalitas.
Nam vices suas sortita singula; sic quæ nascuntur,
virent primùm, deinde arescunt, & amisso succo e-
moriuntur, quandoque ante tempus repente intere-
unt. Hoc cum in floribus & herbis spectemus, in ho-
minum vita admirabimur? videntes, non alia rati-
one mortem vitæ comitem, quàm diei noctem assi-
stere. Iterum igitur dico; Feliciter ipsum occidisse, &
eo tempore, cum amplissima omnium expectatio
in illum coniecta; cum maximè bonus, maximè ab
omnibus amaretur! cuius virtutis si quæ satietas
cõtigisset, nõ tantum sui reliquisset desiderium. Quo-
rum nunc ergo illi vitâ longâ opus fuit? cui brevis
tam feliciter contigit: nisi tot fortè prius ærumnis,
tot calamitatibus, tot animi & corporis molestiis,
morbis, doloribus, & id genus morte ipsâ intolerabi-
lioribus malis pressum & defatigatum, beatiorem
putare, ac de morte minùs queri velimus. Mortalis
erat, mortales, qui mortuus, & mori horis omnibus
potuit: ut novum non sit, mortuum esse hominem.
Postea si hoc est, quod ferè sapientes dicunt omnes,
hanc vitam miseram esse, dolendum ne censebitis,
TILEMANNUM nostrum desisse esse miserum? Sunt
& qui sic putent; optimum esse non nasci; proxi-
mum, natum citò aboleri. Quorum primum illud
durius est, quàm ut nobis conveniat: hoc alterum
liben-

libèter accipimus. Quòd si nūc miseri hīc sumus, quid
prius optabimus, quàm ut ocysimè per mortem mi-
seri esse desinamus? & ad eam perveniamus vitam,
quæ verè vita est. Mors itaque cū sempiternæ li-
bertatis initiū sit, per hanc **TILEMANNUS** jam liber
est, nullisq; ne minimis quidē malis obnoxius. Secu-
rè agit; nihil in illum fortuna imperii habet, nihil o-
mnes casus. Tranquillus est, non cupit, non timet,
non afficitur aliquatenus. Ne igitur illi eum statum
invideamus, in quo si nos essemus, nihil minùs vel-
lemus, quàm in hanc revocari semivitam; sed potiùs
à Deo immortalī ea precemur omnia, quæ solemus
debemusq; his, qui cum laude vixerunt. Atque sit hoc
Sepulchrum omni ære perennius, omni labore ela-
boratius, omni sumptu pretiosius; **TILEMANNI**
nostri **VIVA VIRTUS.**

Tu verò qui bulla es, es autem qui homo; fragi-
litas tuæ memor, immortalitatem ne spera, non
spira superbiam: inexplicabilis vitæ hujus rapaci-
tas; ut prius transacta sit, quàm inspecta, & tam re-
pentè deficias, quàm subito evanescit bulla. Nihil
inesse vitæ huic certi, hoc certū, & singulos dies
singulas vitas, puta, totièsque decum-
bens dic tecum.

VIXI.



libet accipere. Quod si nec miser hic sumus quid
 prius optabimus, quam ut occidamus per mortem mi-
 sericordie delinamus; & ad eam perveniamus vitam
 que veritas est. Mortis itaque cum tempore in
 peccatis iniquis per hanc vitam in partem libet
 esse, utique, ac minime quidem in obnoxio. Et
 regit, nihil in illam formam imperii habet, nihil o-
 rans carnis. Transpuitus est, non cupit, non timet
 non alicuius alicuius. Neque illi cum si cum
 in videtur, in quo si nos estis, nihil minus vol-
 untas, quam in se nec revocari, tenuitatis, sed potius
 & Deo immortalis, et precemur omnia, que solentur
 debentur; his quibus laude vixerunt. Atque sic hoc
 sepelirent omni, et crederent, omni labore cla-
 borant, omni iniqua peccata. **ETIAM**
NOBIS VIVA VITAE.
 Tu vero quibus es, et auctum qui homo; fragi-
 litatis tuae minor, immortale herem de spera, non
 sors superbia; inextinguibilis vita, duplex respac-
 tuus, praeferat, et in, quod iniqua, & carni re-
 pene deficiat, quam subit, et auctum palla. Nihil
 inesse vitae huc carit, hoc est, & singulos dies
 singulas vias, que, coridque decem-
 pens die tecum.







Kf 1769^a
II


ULB Halle 3
003 860 000


Sb.

Wort







4

Apotheosis
FRIDERICI TL
LEMANNI, I. V. DOCTORIS,
ET HISTORIARVM PROFES-
soris publici :

Per
D. Iohan. Iessenium

celebrata.



VVITTEBERGÆ
Typis Simonis Gronenbergii.
M. D. XCVIII.

